

The *Manipulus/Scotichronicon* Project
(<http://web.wlu.ca/history/cnighman/Scotichronicon/index.html>)

Ira d

Caute studuit partes ad unum reducere ne, si non lites celerius sopirentur, ira cresceret in odium, et trabem traheret de festuca, et animas faceret homicidas et proceres paricidas.

Scotichronicon, 10.1 (Watt ed., vol.5, p.292, ll.39-41).
[Not recognized as a paraphrase.]

Lites aut nullas habeatis aut quam celerrime finiatis, ne ira crescat in odium et trabem faciat de festuca et animam faciat homicidam.

Sicut enim legitis: qui fratrem suum odit, homicida est. Quicumque conuicio uel maledicto uel eciam criminis obiectu aliquem leserit, meminerit satisfactione quam cicius curare quod fecit, et ille qui leesus est sine decepcione dimittere. Si autem se inuicem leserint, inuicem sibi debita relaxare debebunt propter orationes nostras quas utique quanto crebriores habetis, tanto saniores habere debetis.

Augustinus de uita et regula clericorum.

Manipulus florum, Ira d

Lites aut nullas habeatis aut quam celerrime finiatis, ne ira crescat in odium et trabem faciat de festuca et animam faciat homicidam.

neque enim ad solos uiros pertinet, quod scriptum est: Qui odit fratrem suum, homicida est, sed sexu masculino, quem deus primum fecit, etiam femineus praeceptum sexus accepit. quaecumque uel conuicio uel maledicto uel etiam criminis obiectu alteram laeserit, meminerit satisfactione curare quantocius, quod fecit, et illa, quae laesa est, sine disceptatione dimittere. si autem inuicem se laeserunt, inuicem sibi debita relaxare debebunt propter orationes uestras, quas utique quanto crebriores tanto sanctiores habere debetis.

Augustinus Hipponensis, *Epistulae*, 211.14 (CSEL 57, A. Goldbacher ed., p.368, ll.11-22).